

Vol. 5.

45

I. N. S. S. T.

DISSERTATIO ACADEMICA

De

ANGARIS,

Cujus

Partem Priorem
PHILOLOGICAM,

Favente DEO,

Et

*Suffragante Amplissimo Senatu Philosophicam
in illustri ad Auram Lyceo,*

PRÆSIDE

Dno. ISAACO BÖNKRUNDI
LL. SS. Prof. Ord.

*Candido bonorum examini modeste
submitter*

Alumnus Regius

JOHANNES TILLANDER P. F.

Smolandia Svecus,

Die 24. Februar. Anni 1732. in Auditor. Max.
horis convetis.

ABOÆ,

Excud. Reg. Acad. Typogr. Joh. Kiämpe.

S:æ R:æ M:is

Magnæ Fidei Viro,

Reverendissimo Patri ac Domino

D_{NO.} **GUSTAVO**
ADOLPHO,
HUMBLE,

S. S. Theol. DOCTORI consummatissimo, Inclitæ
diœceseos Vexionensis EPISCOPO eminentissimo,
Ven. ibidem Consistorii PRÆSIDI gravissimo, Gy-
mnasiorum & Scholarum per diœcesin EPHORO
adcuratissimo,

MÆCENATI MAXIMO,

Maxime Mæcenas, *Et* nostra gloria gentis,
Dulce decus Musis, præsidiumque meum,
Digneris trepida veniam concedere Musæ,
Oro, quæ supplex limina sacra petit.

S:æ R:æ M:ris

A Sacris Supremo,

Summe Rever. atque Amplissimo Domino

**D^{NO}. ANDREÆ
KALSENIO,**

S. S. Theologiæ DOCTORI longe celeberrimo, u-
triusque Consistorii Aulici & Urbici, quod Holmiæ
est, PRÆSIDI gravissimo, nec non ad ædem S. Ni-
colai PASTORI dignissimo, meritissimo,

MÆCENATI MAGNO,

Prospicit Vestros tenuis, celeberrime Doctör,
Nescia quo fato, nostra Thalia lares,
Nam licet hæc audax, & sit temeraria pæne,
Exsulat hæud veniæ spes tamen omnis ei.

Græ

*Est humilis, fateor, rudis est, & nescia cultus,
Nudaque, nec Tantos digna subire lares.
Nam licet haud deceat sacros referare penates,
Cui non Aonio nectare labra madent:
Est tamen ingenium devoti pignus honoris,
Quod pia tantillum mensque manusque feret.
Hoc igitur grato, Mæcenas, suscipe vultu
Exiguum munus, supplice voce rogo.
Respiciasque Tui nunc aspera fata clientis,
Qui Tibi se totum, Magne Patrone, dicat.
Sic semper junctas ad sidera tollere palmas
Devoti pietas prompta clientis erit,
Ut vigeas, vireas, & fausto Nestoris ævo
Transacto, posthac regna beata petas.*

Reverendissimi Nominis Tui.

*Devotissimus Cultor.
Johannes Tillander.*

Gratia namque subit, qua adflictas usque Camenas
Amplecti placidus, Magne Patrone, soles.
Qua simul hanc fretam cernis Tibi munera ferre
Devota mentis, pignora vera, sua.
Vade igitur felix, Magni ambitura favorem
Patroni, tibi quo plaudere Musa queas.
Ignoscas, tanto quod nomine culta superbit,
Magne Vir, hæc, oro, parvula opella Tuo.
Meque deinde Tuo, Mæcenas Magne, favori
Commendo supplex, gratus & huncce colam.
Sic constans vigeas, multosque beatus in annos
Vivas, ter felix, corde vovebo pio.

Summe Reverendæ Tuæ Dignitatis

Cliens humillimus.
Johannes Tillander.

Maxime Reverendo atque Amplissimo Domino
Mag. OLAVO OSANDRO,
Diocesanos Vexionensis Archipræposito laudatissimo, Col-
legii Ecclesiastici Adfessori adcuratissimo,
PATRONO OPTIMO.

Admodum Reverendis Præclarissimisque
Dnn. MAGISTRIS,
S. S. Theologiæ & Philosophiæ in Regio Gymnasio Vexio-
nensi, Lectoribus dexterrimis, Consistorii Ecclesiastici Ad-
fessoribus Aequissimis,
Singulis Patronis meis faventissimis.


Viro Plurimum Reverend. atque Clarissimo
Dno. NICOLAO MELINO,
Ecclesiarum, quæ Christo in Qvarneberga & Hiortsberga
colliguntur, Pastori vigilantissimo,
Avunculo & Evergetæ Optimo.

Vobis, Patroni & Evergetæ benignissimi, specimen hocce Aca-
demicum, in debite venerationis tesseram, & incrementi
fortune in posterum obtinendi spem, cum omnis prosperitatis de-
vota adprecatione, consecrare debui.

Tibi etiam plurimum, Avuncule Optime, ob plurima in me
meosque collata beneficia, me debere fateor: quibus remunere-
randis cum me profusus imparem deprehendam, chartaceum hocce
munusculum, ut grati pignus animi, benigne accipias, vene-
rabundus oro. De cetero pro Tua Tuorumque involuntate peren-
ni, vota ad Deum O. M. fundere calidissima nunquam
intermittam.

Max. & Adm. Rever. Ampliff. & præclariff.
Nominum Vestrorum,
Et Avunculi Optimi,

Cultor indefessus
Johannes Tillander,



Conspectus partis Philologicae.

SECTIO I.

- §. 1. De linguarum vicissitudine agit.
- §. 2. Angari notionem in genere proponit, ejusque ortum a Chaldaea aut Syria examinat.
- §. 3. De origine ejusdem Hebraea disputat.
- §. 4. Eandem rem persequitur.
- §. 5. In sensum Ἰσ αἰσαρίων apud Evangelistas inquiris.
- §. 6. Graecam angari derivationem excutit.
- §. 7. De Latino etymo verba facit.
- §. 8. De Persicis ejus Arabicisve natalibus disquiris.

SECTIO II.

- §. 1. Gothicam angari originem amplectitur.
- §. 2. Eam aliis Gothicis Persarum vocibus illustrat.
- §. 3. Modum propaganda rei per Scythas ostendit.
- §. 4. De Scythiae antiquae incolis differit.
- §. 5. De hodiernis potissimum Tattaris nonnulla movet.
- §. 6. Clausulam opellae imponit.

SECTIO PRIOR.

Linguas, a primis inde temporibus, suæ obnoxias fuisse vicissitudini, suasque habuisse periodos, monumenta omnis ævi historica, non tantum antiquiora, verum recentiora etiam nos abunde docent. Fieri enim aliter non potest, quam ut linguæ, per diversarum gentium commercia atque imperia, misceantur & confundantur. Nam mercium variarum permutatione diversas inter nationes, nomina peregrina rebus imposita invehî, & in posterum servari solent. Imperia etiam, quæ latissime patent, & populos multos *ἑτερογλώσσους* complectuntur, per communem civium consuetudinem, familiaresque congressus, ansam linguis diversis miscendis præbent haud exiguam. Ita victores & victi, cum in unam coalescunt gentem, alique aliis dicunt jura, præscribunt leges, tributa & vectigalia exigunt, cum his rebus vocabula genti suæ propria, alteri nationi impertiunt, & alia inde vicissim accipiunt. Quod omni tempore comperitum est apud nationes rei militari deditas, quæ, cum in aliqua regione sub jugum missa sedem fixerunt, mores simul introduxerunt suos, ut artes utilitate se aliqua commendantes vel indigenæ amplexi sint ac imitati, vel vicini, cum quibus commercia illis in-

intercessere, lubentes observarint: unde sæpe factum est, ut nomen cum re antea ignotum civitate hi donarint sua. Incredibile fere est, quantum studium linguarum peregrinarum apud cultiores & hodie floret gentes, adeo ut magnis in emporiis, præsertim Europæ, paucos admodum alicujus dignitatis invenire contingat homines, qui aliquam saltem linguarum exoticarum sibi notam non reddiderint. Hinc lingua genti alicui vernacula sic sensim immutatur, ut demum exolescat: quemadmodum lingua Italica a latina veteri ita degeneravit, ut facile nobis persuaderemus, Latium olim partem Italiæ non fuisse, nisi ex monumentis veterum id constaret. Similia fere fata lingua prisca experta est Gothica, quæ paullatim etiam per commercia ita est transformata, ut jam ab indigenis amplius vix agnoscat. Licet diffiteri non possimus, in quibusdam Scandinaviæ locis reliquias ejusdem superesse sat insignes, ubi vim neque per commercia, nec alio modo, tantam passa est. Gratulari ceteroquin generatim sibi potest Svio-Gothia, præ aliis plurimis gentibus, de felicitate illa, quod parere nunquam coacta sit alieno imperio ita, ut mutationem inde morum & linguæ penitus subierit, sed victricia per orbem arma circumtulit, testantibus exterorum antiquissimis scriptoribus non modo, verum etiam nostratium non paucis. Hinc vestigia linguæ Gothicæ in aliis linguis hodieque deprehenduntur, vel post subjugationem relicta, vel per commercia introducta. Quo-

rum in numero vocabulum etiam *Angari* locum sibi vindicare, rationibus non destituti statuere adnitemur: quippe quo, cum ipsa re eodem designata, variarum linguarum gentes priscis temporibus usæ sunt, quarum tamen in lingvis ejusdem natales frustra rimamur. Interea favor B. L. reverenter mihi est ambiendus, velit innoxia hæcce conamina, licet tumultuarie tentata, non fastidioso excipere animo, neque immiti perfringere censura.

§. II.

Quo notatio nominis hujus pateat, e re est, ut in antecessum eam paucissimis sistamus. Dicebant veteres πῦρ ἀγγαρον (a) de facibus nuntiis & pbaris, h. e. ignibus, quibus aliquid nuntiatur. Frequentissime vero ἀγγαροι significabant *regios*, potissimum apud Persas, *nuntios seu tabellarios*, qui certis dispositi stationibus, maxime equis velocissimè vecti, ex successione litteras perferebant, ita ut alter alteri traderet madata, quo celerius perferrentur. Et quia hi pro auctoritate regia ipsis in eo concessa, poterant capeßere civium jumenta, immo ipsos etiam corripere cives, eorumque opera arbitrato suo uti, ad ministerium vecturæ & equitationis: hinc factum est, ut vox ἀγγαρος latius etiam de quovis, qui bajulat aliquid publico, valeat, exponaturque ἀχθοφόρος, ἰεγάρης, ὑπηρέτης (b). Hinc præter alia manavit & famosum illud apud Evangelistas (c) verbum ἀγγαρεύειν, *angariare*, h. e. cogere ad currendum vel ferendum.

ri tradendo, cum Philologi non omnes eadem sentiant, neque idoneis satis rationibus, communem plerisque sententiam adhuc stabiliverint, res altioris erit indaginis. Daniel Heinsius (d) e Chaldaico & Syriaco מְנָר, quod est *mercede conducere*, derivari hoc posse censet. nam quod Hebræis מְנָר, id etiam magistris Judæorum fuit מְנָר, qui & pro מְנָר *mercenarius*, dixerit מְנָר, unde & ἡγάρουσαν, non ἡγάρουσαν, Evangelistam scripsisse videri queat. Cui audaciori conjecturæ quamquam speciem petit ab Helychii Lexico, in quo ἡγάρου, ἡγάρου, ἡγάρου &c. simplici γ scribantur, ac si ab מְנָר forent derivata; neque tamen vel ipse Heinsius eam data opera propugnare sustinuit, neque sanus quisquam, contra omnium codicum fidem, istam sacri textus mutationem admittet. Quod autem ad Helychium attinet, demus locum istum in mendo non jacere, de quo & Heinsius ipse videtur ambigere: Helychius tamen alio loco habet ἡγάρου, cum omnibus aliis, qui hanc rationem ubique servant, adeo ut prius illud, ex nonnullorum corruptiori vocem peregrinam enuntiandi more, facile potuerit existere. Præterea neque ipse Syrus interpres novit מְנָר valere idem atque מְנָר, qui hoc verbo, non illo, Evangelistarum ἡγάρουσαν constanter exprimit, quemadmodum & Rabbinii eodem מְנָר sæpe in onere angariæ describendo usi sunt. Neque propius ad veritatem accedit opinio Martinii, qui similiter originem putat esse Syram, sed radicem מְנָר *trahere*, in aphel מְנָר quasi *trahere ad cursum* (*).

(a) *Æschyl. in Agamemn. v. 290.* (b) *Hesych. lex.* (c) *Matth. V. 41. & XXVII. 32. Marc. XV. 21.* (d) *Exercitat. sacr. lib. I. c. ult. (*) in lexic. Phil.*

§. III.

Verum excutienda simul videtur illa instantia, an non justius Angarorum origo ad Hebræam referri queat radicem, & ipsum quidem isthoc verbum אַנְגָרִים, sed colligendi & congerendi sensu illis usitatum: quippe quum indidem deductum sit Hebræis nomen אַנְגָרִים *epistola*, (quanquam Scaliger malit אַנְגָרִים derivatum a Persico *angar* (*):) & significatione ad angaros propè accedens, & forma. Fieri enim facile potuit, ut Græci dageffationem אַנְגָרִים Hebraici exprimentes, sonum אַנְגָרִים voci adfinxerint, quem Latini ab his hausisse videntur. Ast non videtur probabile, Romanos Græcorum imitatione hic ductos, si vel maxime hi dicantur sonum vocis corrupisse, quum illi eodem fere tempore, quo in Græciam, etiam in orientem arma sua protulerint, ubi & rem & nomen nativo sono, si earum id linguarum propago fuerit, telicuis addiscere poterant. Præterea neque epistolam aliter אַנְגָרִים dictam ab Hebræis censent eruditi, quam quod variæ in eam dictiones & res congerantur (e), neque nuntium aut indicium per se designare videtur, nedum coactionis aut oneris vestigia ulla in ea voce aut conjugatis adparent. Et quod magis est, ne ipsi quidem Hebræi vocabulum *angari* unquam ut suum agnoverunt. Manifestum præ-

præbet exemplum historia Estheræ, cum Judæi sub imperio Persico degentes, institutis jam tum procul dubio angaris, nomen hoc una cum re didicissent: uthoc nihilominus ut peregrinum, scriptor sacer, puritati linguæ studens, vitavit, & cum domestico commutare maluit. Unde Hebræo labio רצוים cursores (f), & plenius רצוים בסוסים רכבי הרקש רצוים בכו הרמכיים *cursores equestres, vecti jumentis, mulis, progenie asinarum* (g). Quos Græci interpretes de Βιβλιοδόγος, alii plurimi post Josephum (h) de ipsis Persarum angaris exposuere. Posteriores Judæorum magistri nomen quidem angariæ receperunt, sed ut facile appareat, alienæ id habitum esse originis. Inde phrasis in eorum monumentis usitatissima עשית הנגריה *facere angariam*, h. e. cogere ad angariæ servitium: qui & ipsi vim vocabuli describunt Hebraice per עבודה באונס *servitutem coactam*, עבודת המלך *servitutem regiam*, &c. (i). Multo autem minus Beza, qui angariam ab Hebræo נגש per metathesin litterarum deducit (k), nobis probatur.

(* in fragm. Berof. (e) conf. Guffet. Commentar. voc. נגש (f) Esth. III. 13. (g) c. VIII. 10. 14. (h) Antiq. Jud. lib. XI. c. 6. (i) Buxtorf. Lexic. Talm. p. 131. (k) comment. ad Matth. V.

§. IV.

Hebraeam ergo derivationem hæc vel ideo improbandam putamus, quod institutum hoc de angariæ

garis in ista gente, vigente ipsorum imperio, obtinuisse, nusquam legimus: neque igitur nomen in isto solo natum esse potuit, quum rebus nomina alienæ linguæ, unde ipsæ non defluerint, imponere, sit præter morem. Ne quis autem כורס seu *cursores*, & עשרי *equites illos*, in jure regio (l) memoratos nobis objiciat, tanquam de tabellariis publicis exponendos: sciendum est, illos constanter ab interpretibus de *apparitoribus tantum, satellitibus regiis & corporis custodibus* intelligi, neque usquam in historia imperii Israëliti aliter usurpari (m). Ratum itaque manet posterioribus demum temporibus, quum Judæi aliorum imperio parere cœpissent, angarias in Judæam esse introductas. Et quia, ceu innuimus, res ita describi solet, ut cuilibet principis mandata effectu concedum fuerit, adigere ad vecturam civium etiam corpora, non jumenta modo, currus, sed et has, aliasque res, ad negotia celerrime expedienda commodas & necessarias: fieri aliter non potuit, quam ut summo illis oneri ac molestiæ esset, præcipue postquam privatis etiam potestas fieri cœpisset, a quibus sæpe misere sunt vexati. Unde sub angariarum nomine, onera, immo variæ injuriæ civibus a magistratu illatæ non tantum, verum etiam qualibet servitus & opera, quæ ab invito præstatur, postmodum comprehendebantur. Quid harum rerum sub ditione Persarum sustinuerint Judæi, non usque adeo liquet: quamvis & Persis vexationem hanc adscribere videantur Talmudici in Berachoth

choth (*). Usum vero Angariæ, imperio ad Græcos translato, hi in Asia retinuerunt, Judæosque sibi simul subiectos eodem onere afflixerunt. Unde Demetrius rex Syriæ, genti Judaicæ gratificaturus, immunitate ab hoc angariæ servitio data, ut eam ab amicitia æmuli sui Alexandri averteret, in epistola ad Jonatham apud Josephum (n) scribit: καὶ ἰσθαιὼν δὲ τῆς ἀιχμαλωποθείας καὶ ἀβλήσεως ἐν τῇ ἡμετέρᾳ, ἀφίημι ἐλευθέρως, κελύω δὲ μὴδὲ ἀγγαρεύεσθαι τὰ ἰσθαιῶν ὑποζύγια. Romani, orientis domini facti, non imitati tantum hoc institutum, sed & amplificasse idem leguntur, quemadmodum de Augusto retert Svetonius (o) Ut igitur res ipsa Judæis fuit maxime odiosa, ita nomen ei impositum ingentem attulit nauseam. Gens enim hæc libertatis alioquin amantissima, hominumque imperiis satis infesta, (quemadmodum Judæ Galilæi sectatores, cum Pharisæis in ceteris consentientes, noluerunt alium dominū ac principem esse habendum, quam solum Deum (p)) angariarum molestias ægerrime ferebat; ut cum diu ante hæc tempora, tale ministerium Græcis, ne dicam Persis, præstare omiserit, eo acerbior oneris hujus pristini atque obliterati, per Romanos nuper restituta ac renovata calamitas esset.

B

§. V.

(j) 1. Sam. VIII. 11, (m) Schickard. Jur. Reg. c. 111. Theor. VIII. (*) conf. Buxtorf. lex. Talm. ad v. יָרַח (n) antiq. Jud. lib. XIII. c. 5, (o) vit. August. c. 49. (p) Joseph. antiq. lib. XVIII. c. 1. §. 2.

§. V.

Non itaque apte latis numerum videntur inire illi, qui verba Salvatoris Matth. V. 41. referunt ad Persarum angarias: *nam consuetudo Persarum non ad sarcinas spectavit, sed litteras & nuntios, contra quam receptum fuit apud Romanos, verba sunt Schefferi (q).* Rem certe, cujus incommoda ipsi adhuc dum frequenti sentirent experientia, a majorum memoria repetere minime erat opus. Hoc enim tempore angariarum nomine quam maxime veniebant quævis onera iniqua, non modo a magistratu ejusque ministris imposita, idque tum ἐν καίρῳ στρατοπέδου, tum alias; verum etiam sæpissime a privatis. Exemplum habemus in Simone Cyrenæo (r), quem milites, nulla necessitatis publicæ causa urgente, coegerunt crucem Jesu bajulare. Quæ personalis angaria infimo & barbaro latinicatis ævo *in opera* dici sivevit, quemadmodum Vossius in glossematis latino-barbaris (s) testatur. Namque ut multa alia a Romanis, ita primum neque angariæ publica impensa procuratæ putantur. In hanc sententiam pedibus ite-
ruditissimus Schefferus (t) Respicitur, inquit, ad onus prestandarum angariarum, quod iis temporibus pertinebat ad privatos. Nec enim fiscalis factus cursus angariarum ante Adrianum, sed restitutus ab Augusto, per privatos expediebatur. Eratque onus illud in Judea non exiguum, cum præter alia, tum quia noviter inventum ab Augusto, ut Suetonius nos docet, ipsi novitate sua inlestum creabat. Proinde servitus per se onerosa, quum sæpenumero

iniquius exigeretur, tanto facta est acerbior, ut rei hujus exosæ nomen ad privatas etiam vexationes extenderetur. Hinc quum Judæi summa cum impatience ferrent onera sibi etiam juste imposita, alium plane animum a suis requirit Christus hoc effato: *καὶ ὅς τις σὲ ἀγγαρεύσει μίλιον ἓν, ὑπάγε μετ' αὐτῷ δύο.* Egregia hanc in rem sunt rursus verba Schefferi: *Ergo isthoc voluit Salvator noster, locutus de eo, quod frequenter tum fiebat. Si tibi onus angaria ad milliare unum imponitur, ne cum impatentia & querelis id sustineas, ei qui ad prestationem hanc compellit, contraque libertatem tuam facere videtur, obloquere, ac refractarium te presta: potius adde milliare unum, & cum per unum milliare solummodo deberes deducere, duc etiam per alterum.* Cum quibus concinit Chrysofomi sententia (v): *Τὸ γὰρ ἀγγαρεύσαι, ἴσθ' ὅτι, τὸ ἀδικῶς ἐλλεῦσαι, καὶ αἰεὶ λόγῳ ἰσθ' ὅτι, καὶ ἐπιπείθειν. ἀλλ' οὕτως, καὶ πρὸς ἴσθ' ὅτι παρρησιασθεῖτε, ὥστε πλεῖον κερθεῖν, ἢ ἐκεῖ βέλτεροι ποιῆσαι.* Salvator itaque optimus, cum prævideret ecclesiæ calamitates, quæ non privatorum duntaxat injuriis ac contumeliis, sed magistratus quoque iniquis oneribus ac servitutibus oneranda vexandaque erat, discipulos & auditores suos mature voluit commonefacere, atque ad patientiam erudire, ne, quando sentiunt se injuste premi a magistratibus, seditiones concitent, capiantque arma ad depellendam injuriam, sed ut malint majora etiam perpeti, oneraque duriora subire, si non liceat ea legitime declinare. Ut pulcre commentatur Stolbergius (v). Apte hanc in rem et-

iam loquitur Caspar Zieglerus (w): *Et hic sensus est, si magistratus tibi iniquus fuerit in imponendis oneribus, duplum potius prestare debes, quam seditiose ei repugnes.*

(q) de re vehiculari lib. II. c. 29. (r) Matth. XXVII. 32. Marc. XV. 21. (s) lib. III. c. 3. (t) l. cit. (u) ad h. loc. homil. XVIII. (v) de anzar. c. V. §. 8. (w) notis ad Grot. J. B. & P. lib. II. c. 8.

§. VI.

VOcem *ANZARUS* Græcis gaudere natalibus, quidam asserere non dubitarunt, cum vocabula per commercia Græcos inter & Persas non modo, verum & sub Macedonum imperio, e Græcia in Persidem, & vicissim e Perside in Græciam sint translata: quæ collegere Athenæus (x), Salmasius (y), Vossius (z), alique. Hæc derivatio potissimum Christiano Becmanno (1) non displicuit, dicenti, in locum *οἱ ἄγγελοι*, substitui potuisse *οἱ ἄγγαροι*. rationem addit, quod *L. & R. in omnibus linguis, sepe invicem commutentur ac miscantur*. Inde tamen non sequitur, Græcos linguæ suæ vocabula nativa, repudiasse integra & incorrupta, eademque mutilata & depravata a peregrinis eorum in locum recepisse. Quin Græci ipsi etiam antiquissimi vocem *ἄγγαρος* ita describunt, ut non suæ, sed alienæ esse civitatis, aperte innuant. Quod Herodotus instar omnium in hac materia adfirmat (b) *τὸ τοῖς ἑβραίοις ἰὼν ἰσπῶν καλεῖται πέροισι ἄγγαροῖσι*. Habent autem alia vocabula

bula linguæ suæ genuina, rem eandem designantia, cujusmodi sunt de facibus, πυρραία, λυχνάβη, τὰ διὰ πύρρος σημεῖα, πυρροί, Φευροί, λαυπάδες, λαυπήρες, πύρρο πελεμικόν, ἢ διὰ τῶν πυρρῶν παραφυλακὴ νυκτερινή &c. de cursoribus & nuntiis, γεωμιαλοφόροι, ἡμεροδρόμοι, ἡμεροσκόποι, ἀγγελιαφόροι, δρομοκήμενες &c. adeo ut corruptis uti haud esset necesse. In re angariæ describenda nomen quoque ἀσάνθης occurrit. Quod licet Hefychius Græcæ esse originis, Tarentinæ dialecti, opinetur, adeoque non esse inepte compositum ab α privativo, & verbo εἶναι, Dorice εἶναι, quod πῶσθαι, Schrevelius censeat (c): alienum tamen id esse, & quidem Persicum, tutius statuimus aut ad minimum angaris impositum a vicinis Chaldæis, apud quos ܓܢܢ vel ܓܢܘ, *legatum, nuntium vel tabellarium* denotat. Quorsum nos ducit orthographia ejus ἀσγάνθης apud Plutarchum (d), immo apud ipsum Hefychium alio loco ἀσπανθης. Certe reliqui Persicum id esse nomen volunt. Ita Ælius Dionysius (e), postquam, quid angari essent, declarasset, subjicit: οἱ δὲ αἰῶι κῆλ ἀσάνθαι περσικῶς. Pari modo Suidas ἀσάνθη ὄνομα περσικόν statuit. Hæc tamen non omnia prorsus sunt ἰσοδυναμῶντα. Sic angaris cum ἡμεροδρόμοις id intercedebat discriminis, ut hi pedites, illi vero equites essent. ἡμεροσκόποι excubias agebant, & in sublimibus positi locis speculabantur, signumque rei visæ, vel agitatione vestis, vel tuba, vel fumo, vel alio modo, de quo convenerat inter mittentes & missos, dabant. De ceteris cōf. Hefych; Suidas & Polyænus & alii.

(x) *lib. III. c. 34.* (y) *de ling. Hellen. p. 384, 394.* (z) *de vit. ferm. lib. I. c. 5.* (a) *de orig. ling. lat. p. 183* (b) *Uran. f. lib. VIII. f. 98.* () *uterque in lex. ad h. v.* (d) *in Alexand. p. 678.* (e) *apud Eustath. ad Hom. id. 6.*

§. VII.

Iatio originem debere *angarum*, sunt qui probare sint conati. Quos inter præcipue Hartmannus Hartmanni ab Eppingen (f) eo curam intendit, ut ab *Ango*, quod *suffoco* & *strangulo* significat, deduceret: quo in significato proprie usurpatum legimus apud Lucanum (g), *aëre non pigro nec inertibus angitur undis*: metaphorice autem, *curis premi & cruciari*, ut a Cicer. (h) *me illa cura sollicitat & angit vehementer*. Qualem autem convenientiam *Angari* cum *Ango* habeant, nemo non videt: quamquam ille rationem addit, *quod constringant Angaria ad onera*. Ceterum Latinæ non esse stirpis hoc nomen, vel inde facile concluditur, quod apud auctores optimæ latinicæ nusquam *angaros* reperire licet, quum tamen dudum antea institutum isthoc Græcis innotuisset, nomenque apud eos uti esset receptum. Unde constat rem cum nomine sequioribus temporibus cum Romanis ab aliis communicatam fuisse, postquam populorum orientalium commerciis & consuetudine uti cœperunt. Quod potissimum sub Augusto, qui rei vehicularis institutor à Svetonio (i) putatur, factum est: licet alii sint, qui vehiculationis originem a legatis Romanorum reperant. Posteriores autem Latini ab hac voce *angaria*

vis & derivatis non abstinere. Interpretes S. Bibliorum fatentur se *angariani* verbum a Ictis sum-
 sisse. Beza enim rationem redditurus, cur *angariani*
di verbum adhibuerit, dixit se id fecisse, tum quod
 latinum nullum haberet, quod vim illius satis exprime-
 ret, tum quod neque Ulpianus Ictus id repudiasset
 (k). Jam enim præter Ictos Ulpianum (l) Arcadium
 (m), & alios postea magno numero, ceteri etiam La-
 tini scriptores, sensim huic voci advevere, ut vide-
 re est apud Vegetium (n) & Gellium (o). De anga-
 ris & parangariis fulse egit Cælius Rhodiginus (p), qui
 hac in re consuli potest.

(f) *Præf. observat. lib. II. c. 11. Miscell. obs. VIII. p. 503.*
 (g) *lib. VI. v. 107. (h) ad Quint. frat. lib. III. ep. 3. (i) Vita Aug. c. 49. k) ad Matt. V. (l) digestis de priv. l. D.*
terran. (m) digestis. de vacat. (n) de re militari. (o) noct. Att.
lib. XIX. c. 14. (p) antiquar. Lect. lib. XVIII. cap. 8. pag. 276.

VIII

Vocem *Anzarus* in Persia natam, indeque ad ali-
 os esse translata, plerique eruditi magno con-
 sensu adfirmant; sed si vera fateri liceat, conjecturis
 magis, quam firmis rationibus nixi. Cum enim in-
 stitutum hoc illis temporibus in Persia ad summum
 quasi creverit, hinc in eam opinionem vicinæ gen-
 tes, ad quas postmodum est propagatum, sunt in-
 ductæ, necessario idem in Persia esse inventum. Pro-
 vocatur hic ad consensum antiquitatis: nam præter
 Herodotum superius citatum, Hesychius & Phavo-
 rianus

rinus aperte pronuntiant: ἀγάρῳ, ἢ λέξις δὲ περσικὴ. & Suidas de Angaris & Astandis: τὰ δὲ ὀνόματα περσικά (q). immo Eustathius confidentius: λέξις δὲ Φανερῶς περσικὴ (r). Hi Persicum quidem vocabulum existimarunt, quum a Persis id usurpari audirent; sed domesticumne illis, an aliunde esset adscitum, definire nequiverunt, quum de nemine eorum constet, Persicæ linguæ gnarum fuisse. Unde fundamentum derivationis petunt recentiores hujus sententiæ propugnatores quidam ab *Agor*, gruem apud Persas denotante, ut אגור Hebræorum; præsertim quum *Angari* celeritate cursus cum gruum volatu certare crederentur, perhibente Xenophonte (s). Cui opinioni ut speciem conciliet Bochartus, refert *Agor* ad verbum Arabicum *Agara*, i. e. ad lares suos postliminio reverti vel aufugere, quod gruum sit proprium; adeoque *Angarum* ab *Agara* Arabum radice arcessendum putat (t). Quam autem longe petita sit hæc ratio, nemini non constat. Nam a gruum volatu ad pyras, pharos, cursores publicos, aliasque res angaris designatas, denominandas, tam debili similitudine argumentari, prorsus videtur absolum. Præterea si ab *Agor* vel *Agara* deduceretur *Angarus*, in ceteris lingvis, quibus usu receptum est, svadente analogia, simplici g scriberetur, ἄγρος & *Agarus*, non *Angarus*. Accedit etiam maximi ponderis argumentum quod Persicus novi Testam. interpretes, vocem hanc Persicam esse non agnovit, alias eodem in exponendis Evangelistis fuisset usus, Ejus autem loco ubique adhibet

adhibet idem illud $\alpha\mu\psi$, quo Rabbini sæpe, nec non Syrus Arabsque interpretes onus angariæ exprimere solent (u). Denique ex Æschyli Agamemnone adparet, hoc institutum primum a Persis profectum non esse, sed Trojani belli tempore, pyræ jam *angari ignis* nomine insignitæ videntur. Quo spectant & illa Plinii: *Ordinem exercitus, signi dationem, tesseras, vigilias, Palamedes invenit Trojano bello; Specularem significationem, eodem Sinon (u).*

(q) *singuli in lex. ad b. v. (r) ad Hom. òd. r. vers. 28 (r) Cyropæd. lib. VIII. (s) Hieroz. part. 2. lib. l. c. 11. (u) conf. Gyl. Diction. Persic. (v) Hist. nat. lib. VII. c. 56.*

SECTIO POSTERIOR.

§. I.

QUUM per exteras adhuc gentes incassum sinus divagati, ad linguam voci originalem porro properamus. Eam vero extra patriam nostram quærere, nulla nos cogit necessitas. Patriarum enim antiquitatum indagator sollertissimus Olaus Verelius *Angarum* ab *Angur*, quo sinus maris denotatur, derivat (w). Cujus ratio huc redit. In ipsa rerum origine in Scandiapyræ circa oras maritimas & littora dispositæ erant, ut hostium adventum incolis, per custodes aut accolæ succensæ indicarent: quo factum, ut & illis per metonymiam nomen *angur* adhæreret. Ad interiora autem continentis ejusmodi strues primitus excitari non poterant, antequam homines magis aucti, in loca a mari remotiora recederent, & sil-

væ excisæ liberius per terras iter, non modo incolis, verum & hosti præberent: ubi & tandem istæ sunt frequentatæ. Sed cum pyræ illæ successu temporis vix omnibus negotiis civitati indicandis sufficerent, postmodum per homines certis stationibus collocatos, qui continuo cursu alter alteri necessaria significarent, res expediverunt suas. Quum etiam hoc aliquid secum ferret incommodi, cursores certi sunt constituti, mandata ad destinata loca perlaturi. Et quemadmodum faces nuntiæ ubicunque, etiam in mediterraneis dispositæ, ex prima institutione adpellationem *Angur* servarunt: ita ad nuntios quoque & cursores illos idem nomen est propagatum. Quia vero res hæc a privatis quibuslibet obeunda, onerosa erat & molesta, mirum non est, si ingratum tandem sensum nomen isthoc contraheret, & coactionem ejusque effectum designare inciperet. Hinc in monumentis vetustis *Angur* & *Angursem* pænitentiam notat, *Angursam: starf*, laborem ærumnosum, *ingragpr*, eum qui alienam miseriam immotus intuetur (x). Hinc & *Leidanjur*, quo non tantum expeditio militaris, sed & commeatus & necessitas expeditionis subeundæ significatur (v). Cujus rei vestigia annon & Fennicum illud *Angara*, *severus*, *gravis*, *rigidus*, hodieque ostendet, aliis definiendum relinquo. Certe & adhuc ab *Angur* plurima derivata locorum nomina in Svecia usitatissima sunt, æque ac in Norvegia. ut: *Sällånger* / *Leånger* / *Namrånger* / *Enånger* / *Hjemånger* Helsing. *Sällånger* Medelpad. *Hågdånger* / *Ullånger* Angerm. *Låånger* Vest. both. Et in
Nor-

Norvegia Harbanger / Stafanger / Raupanger &c.
 Quæ omnia loca vel in littoribus maris sunt sita,
 vel saltem mari adjacentia & vicina, ubi hodieque
 in rupibus pyras sæpe deprehendimus exstructas; un-
 de de derivationis hujus veritate minus ambigimus.

(w) in notis ad Herrauds. & Bosæ hist. p. 93. (x) Verel.
 lex. scand. (y) idem lex. scand.

§ II.

Mirum forsàn B. L. videbitur, eo nos processis-
 se, ut contra historicorum exoticorum, anti-
 quissimorum æque ac recentiorum fidem, vocem
Angarus, quam in Perside cum re ipsa natam, firmi-
 ter adhuc creditum est, Gothicæ vindicare non du-
 bitaverimus origini. Ne itaque sine omni ratione hoc
 fecisse videamur, e re est, ut pauca, veritati hujus
 derivationis stabiliendæ quam maxime inservientia
 adferamus. Ingens certe hiatus est Persiam inter &
 septentrionem nostrum, ut magnum fecisse saltum
 videamur, qui migrationem dicam, an transfugium
 hujus vocis statuere conemur: quum institutum an-
 gariarum nomenque Græcis primum ex Asia, &
 quidem Perside, innotuisse consensu antiquitatis sit
 traditum. Nihilominus, quantacunque jam locorum
 est intercapedo, aliquod sermonis comærcium Persiæ
 cum Gothis aliquando intercessisse, valide probant
 quamplurimæ voces, in lingua Persarum hodieque
 obviæ, quæ cum nostris prorsus eodem sensu, & lit-
 terarum sere numero conspirant: quarum tot exempla
 a doctis congesta esse agnoscit Bochartus (z), ut ab invitis

pene fidem extorqueant. Instar omnium hic erunt auri-
riti testes, Ad. Olearius (a), & nostras Ampliff. Dn.
Assessor H. Brenner (b). Ejusmodi vocabula heic non-
nulla, ad ostendendā harmoniam, sistere haud pigebit.

Perf.	Goth.	Perf.	Goth.
<i>Pader</i> pater.	<i>Fader</i>	<i>Dochter</i> filia.	<i>Dotter</i> .
<i>Mader</i> mater	<i>Moder</i>	<i>Vezir</i> princeps	<i>Visir</i> , vulgo <i>wise</i> .
<i>Brader</i> frater	<i>Broder</i>	<i>Mah</i> luna	<i>Manna</i>
<i>Boster</i> pulvinar	<i>Bolster</i>	<i>er</i> janua.	<i>Dör</i> .
<i>Neu</i> novus.	<i>Ny</i>	<i>Kubl</i> stagnū.	<i>Göl</i>
<i>Nam</i> nomē.	<i>Namn</i>	<i>Band</i> ligamēt.	<i>Band</i>
<i>Tonder</i> tonitru	<i>Dunder</i>	<i>Cal</i> calvus.	<i>Kahl</i>
<i>Leb</i> , labium, <i>Läpp</i>	<i>Musch</i>	<i>mus</i> .	<i>Mus</i>
<i>Cburd</i> curtus.	<i>Kort</i>	<i>Barber</i> chirurg⁹	<i>Barber</i>
<i>Naaf</i> ūbilic⁹,	<i>Nafvel</i>	<i>Afikar</i> manifest⁹	<i>Afikar</i> .

Quorum plurima cum hodierna etiam dialecto Svethi-
ca conveniunt. Si ergo tot alia vocabula quæ in ori-
ente nata nemo dixerit, a lingvis septentrionalibus
cōmunicari cum Persis potuere: quid absurdi, quæ-
to, admittimus, si idem nomini *Angur* accidisse
contendimus?

(2) *Phaleg. lib. I. c. 15.* (a) *Hodoep. Pers. lib. V. c. 24.* (b)
notis ad Mos. Armen. p. 62. (c) *Plura de his qui desiderat, ad-
eat C. Lundium in Zamolxe addend. p. 195 & seqq. Pfeiffer.
introducēt. in orient. Dissert. 2. quest. XIV. p. 57. 58. & plu-
res ibi allegatos.*

§. III.

Non quidem fugit nos, multos præcipue Germa-
norum, ejusmodi voces Persicas Teutonicæ stir-
pi asserere conatos. Verum quum ratio propagan-
di

di ab iis adhuc monstrari non potuerit, tutius nos vocabula ea Gothici omnino ortus esse censemus. Sic ingenue post Salmasium & Boxhornium, Valtonus faretur, *vocum istiusmodi originem, nec a Persis, nec a Germanis petendam; sed ab iis, a quibus tam Persæ, quam Germani ea accepere, Scythis; quorum irruptiones tam in orientem, quam in occidentem vocum quarundam similitudinem & identitatem in locis longe a se distitis introduxerunt* (d). Omni enim dubio caret, vetustisque monumentis abunde conficitur, Scythas, bellicosissimam omni ævo gentem, multis inclaruisse expeditionibus, & victoriebus plerumque armis non finitima modo occupasse, sed distita quoque loca sæpe peragrasse. Sic, ut apud Herodotum aliosque legimus, *Asiam fere omnem percurrerunt, & vicinos populos ad Cyri usque ætatem subugarunt* (e). Unde prona fluit consequentia, ubicunque Scythæ confederint, multa eorum instituta, mores, sacra esse inuenta, & præsertim vitari nequuisse, quin lingua indigenarum a commercio Scythico alium ceperit colorem, recentiaque multa admiserit vocabula. Ita Parthica illa ex Scythia in Persiam immigratio, res est in antiquitate decantatissima, &, si Usserii calculo fides, jam ad annum mundi 2520 circiter facta. Ejus verba in opere Nic. Gurtleri hæc sunt: *Sesostris Marte subegit Asiam omnem ac Europam, Scythiam & Mysiam. Cumque in Ægyptum regrederetur, additis ex Scytharum sobole XV. millibus, atque in Persidem translatis, imperavit, ut ibi sedem figerent, data illis, quam ipsi delegissent, regione ex eo tempore Scythæ illi in Perside hæserunt, qui a Persis dicti sunt Parthi,*
quod

quod Persica lingua sonat Scythas, qui vestem & dialectū patriam non mutarunt, hodieque legibus scythicis vivunt, virtuteque bellica, teste sapientissimo scriptore Herodoto, maxime præstant. Adeo ut vel hoc unicum rei veritati propugnandæ sufficeret. Allatu certe etiam hanc in rem dignissima sunt verba ampliss: Brenneri (g): Scio de origine Parthorum varia a diversis tradi. Quidam volunt illos eisdem esse cum Persis, hac ducti ratione, quod Persæ dialecto Græca etiam dici possunt Parthi, propter sventam commutationem earum litterarum in illa lingua. Sed cum in oriente Parthi adhuc dicantur Parthiewk, Persæ vero Parsi, adparet non hic locum habere illam dialecti varietatem. Ex Scythia illos venisse, & Scythico sermone Parthos, exules dici, scribit Justinus. Sane non leve est argumentū, quod in lingua Persarum, qui a Parthis subacti fuerunt, multa etiam hodie inveniuntur vocabula, cum nostris prorsus eadem, ut jam olim viri doctissimi observarant. Certe hæc omnia ante Cyrum, a quo Græci primam angarorum institutionem repetunt, ut auctor est Xenophō (h), longo intervallo contigerunt.

(d) in Appar. Bibl. Polygl. proleg. XVI. §. 4. (e) conf. P. E. Læsch. Jon., s. orig. Græc. lib. 2. c. 2. §. 2. (f) lib. 2. c. 8. §. 1. (g) Not. in comm. Arm. l. c. (h) Cyropad. lib. VIII. §. IV.

HÆc quidem de Scythicis migrationibus, nemo, quod credam, facile refellet. Sed propius porro ostendendum, quo modo vocabula hæc Gothica, cum instituto *Angarico*, a procul diffito septentrione nostro in orientales oras pervenire potuerint: quum Scythæ ad Tanaim in confiniis Asiæ vetustorum scriptis

ptis collocentur, a quibus expeditiones illas in viciniam esse factas, fidem non superat. Verum sciendum est, antiquissimos extraneorum historicos, Herodotum, Strabonem, Plinium, aliosque, Scythiam non arctis adeo limitibus, sed laxissimis intra Tanaim, Danubium & mare glaciale definire, adeo ut illa sit complexa omnes regiones boream versus inde a palude usque Mæoti: quemadmodum vicissim vetustioribus rerum borealium scriptoribus *Swithiod*, quod alioquin Sveciam hanc nostram proprie designat, ad omnem illum terrarum tractum hinc ad Tanaim, sub nomine *Swithiod hin micla* extenditur (i). Hinc nostri non modo antiquarii, sed & cordatiores exterorum dudum valide probarunt, Scythas & Gothos plane eandem esse gentem. Ceu candide Boxhornius, *Unde, inquit, etiam Scandia (ut olim omnis plaga septentrionalis, teste Strabone) Scythia dicta est: et Getas ac Gothos Scythica gentis esse, non inficiantur viri docti (k)*. Immo patriam nostram esse genuinam illam & antiquam Scytharum sedem, celeberr. Rudbeck (l) nostratiumque alii non pauci adstruxere. Id ipsum est, quod & Plinius prodidit *Scytharum nomen usque quaque transit in Sarmatas atque Germanos, nec aliis prisca illa duravit appellatio, quam qui extremi gentium harum ignoti prope ceteris mortalibus degunt (m)*. Certe *Suecos* nostros hodieque in oriente adpellari *Swith & Scuth*, modo laudatus Brenner nos docet (n). Id solum obstare videtur, quod non incredibile tantum sit, unam eandemque linguam per vastissimum illud spatium viguisse; sed & Herodotus (o) dilerte fateatur,

tur, a Ponticis oris ad sacros Scythas per septem interpretes, totidemque linguas eundem, neque omnes interjectos populos Scythicæ stirpis fuisse. Ceterum vel idem iste Herodoti locus luculenter probat, & illos Tanais accolas fuisse Scythas, & eosdem ad sacros Scythas, quos Scandianos fuisse constat, ut ad iudices controversiarum inter finitimos, itasse. Unde horum in illos & reliquos interjectos imperium eminens facile colligitur, quæsitum tum per emigrationes ut in colonos, tum per expeditiones militares, ut in subjugatos: adeo ut Scythia magna tunc temporis hyperboreorum majestatem saltem comiter venerata intelligatur (p). Hinc & Ponticorum illorum Scytharum cum Odino expeditionem in septentrionem, per reditum in antiquam patriam explicat Sheringhamus (q). Vel hac ratione commercium linguæ institutorumque ceterorum inter septentrionem & Tanaim diu conservari potuit. Sequitur ergo, ut *angaria* cum nomine, sive per expeditiones armatas i migrationesve Scytharum in Persidem introducta, sive ut institutum utile ex vicinorum Scytharum moribus a Persis sit recepta.

(i) *conf. Snorr. Sturles, Ingl. c. IX. & c. (k) Hist. univers. ad an. CCI, (l) Atl. tom. I. c. X. (m) hist. nat. lib. IV. c. 12. (n) Not. in ser. princ. Iber., p. 81. 82. item Epist. ad R. Ep. D. Er. Benzell, p. 99. (o) Hist. lib. IV. c. 24. (p) conf. Lund, Xamolx. c. 1, §. 5, (q) de orig. gent. Angl. c. XII. & XIII.*

§. V.

Restat, ut verbo moneamus, a veritate haud aliter enim videri Herodoti testimonium, populos inter

inter Pontum Euxinum & ultimum septentrionem interceptos, diversæ fuisse originis, diversarumque linguarum: omnes tamen communi nomine Scytharum comprehensos, quod hi populosissimi nobilissimique essent, & summum plerumque imperium tenerent (r). Nostrium jam non est definire, quæ fuerit priscae Gothicæ cum Fennica lingua convenientia (s): ab hac tamen jam supra (t) nomen *Angara* eruim⁹. Inter *Tattaros*, qui Scythiæ magnæ quondam, si non magnam partem incolæ, certe vicini fuisse videntur, dari hodieque, qui insigni affinitate Fennorum linguam attingant, uno testantur ore nostrates, ex captivitate Russica non ita pridem reduces: ut ad novem sint numeratæ gentes Tattariæ, quæ Fennica ferè lingua, aut dialecto ejus loquantur (u). *Ita Czeremissi Deum vocant Jimala, & more Fennorum numeros recensent (v)*. Et quod huc spectat, Baicalensis in Tattaria lacus exonerat se per fluvium, ab accolis ob rapiditatem & vehementiam *Angara* dictum (w). Alicubi Gothicæ linguæ rudera & cognationis vestigia exstant. Sic Deus *Sviaskis Thor* dicitur, ad morem antiquissimorum Gothorum (x). Cum primis de Tattaris illis in monte Caucaso ad mare Caspium audiat celeberr. Brenner (y). *Vicini, inquit, Tattari vocantur Dagestanenses, h. e. montani: seip/os adpellant Kaitak vel Komok, forte quia hic fuerunt antiqui Comanni vel Komanni. Hæc natio est fortis & bellicosa, statura & corporis habitu ab aliis Tattaris distincta: nec se origine Tattaros haberi volunt, etsi ab illis subacti sint, (ceu ex historia Abulgasi liquet) sed ultro fatentur, ut ipse ab illis audiui, cum*

in eorum castris essent, quod genus suum a nobis ducant, quos vocant Scythi. Quantumcunque autem veteres Scythiæ incolæ linguis & moribus differebant; usum tamen *Angarorum*, ut multa alia a regiis Scythiis cum imperio & coloniis acceperunt. Sic cursus publici legem Tattaris usitatam, quam M. Paulus Venerus describit (z), a Scythico instituto ad eos esse propagatum, contra quam alii a Persia manasse volunt, arbitramur. Neq; dispar *Angarorum* Turcicorum videtur ratio, quos ut avitum morem ex antiqua patria Tattaria potissimum ista gens traduxisse est censenda.

(r) Rudbeck l. c. (s) Biærner, tract. de Jotunheim (t) §. 1
 (u) conf. Vildes bist. Spec. Pragm. c. II. §. 11 & 31. (v) Brenner
 epist. modo. laudat. p. 107. (w) vid. Unverz. Reisebeschreib.
 nach China, p. 36, 38. (x) Brenn. loc. c. (y) ibid. p. 99. (z) da
 reb. orient. lib. II. c. 23.

§. VI.

EX hisce omnibus satis superque constare arbitramur, quo modo quave via, vocabulum *ANGARUS* cum re in Persiam translatum sit. Plurima ad illustrationem hujus rei amplius spectantia omissa esse fatemur, quæ ulterius persequi, proposita, ob temporis angustiam, qua circumscribimur, brevitatis prohibet. In posterum, Si Deo O. M. ita placuerit, aliqua de re ipsa, utpote *angarorum* variis significatibus, institutione, in republica utilitate &c. pro tenuitate ingenioli, per summa tantum capita eundo, tradere constituimus.

